T[illegible] s Gratus.
et Trzebska Antonina

Bielecki Martini: Juno pronuba, altis
inclyta titulis.

IVNO PRONVBA,

altis inclyta titulis,

DOMESTICA VIRTVS,

Illustrissimarum Familiarum,

TARNOVIANÆ & PRZERĘBSCIANÆ,

Coniunctis splendoribus, Geniales accendens ignes,

AD FESTA NVPTIALIA,

ILLVSTRISSIMORVM NEOSPONSORVM,

D. IOANNIS GRATVS

COMITIS in TARNOW

TARNOWSKI,

Castellanidæ Sendomiriensis,

&

LECTISSIMÆ VIRGINIS,

ANTONINÆ PRZEREBSKA,

Illustrium & Magnificorum Parentum

STANISLAI de Przyrąb PRZERĘBSKI,

Vicepincernæ MIELNICENSIS,

&

CATHARINÆ DE TĘCZYN,

Carissimæ FILIÆ,

Inter Solennes Cracouiæ hymenæos,

Auspicatissimi Ominis ergò,

A

M. MARTINO BIELECKI,

in Alma Vniuersitate Cracouiensi Philosophiæ Doctore & Professore, Collega Minore, Contubernii Iagelloniani Seniore.

Panegyrici applausûs obsequio.

HONORATA.

Anno Salutis 1689. Die 20. Februarij.

115

CRACOVIÆ, Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Reuerendiss. Dñi Episcopi Crac: Ducis Seueriæ, Necnon Schol. Nouodv[illegible]

In Arma Gentilitia ILLVSTRISSIMORVM NEOSPONSORVM.



Arma Dionæi Martis, quibus ipsa Dione
Præsidet, his Vinclûm, Mulciber addit Amor.

PRONVBA IVNO.

PVlchra connubiorum fœdera, faustæ mortalium inuenta propagini, Diuino pollice censeri, nos hodiè credimus : prisca olim veterum religio, ficto verum inuoluentibus, Vatum implicata ambagibus, etiam somniauit. Illa certum habuit ; nunquam, benè feliciterquè nubentibus geniales fulsisse ignes, quos Solus iaculator animorum igneus, pallores amantium violâ tingere docilis, blandus amor, sine coniugalibus Diis, non ritè accendit. Hic nempè lumine cassus, humani sæpè solem consilii densâ flagrantium cupidinum nube, obtendere sueuit, ne prouideat, quid sibi conducere, quidue nocere putet: fatuos plerumquè fulgores, in amatis corporibus fingit, quibus incensa cum suo Paride fumet Neptunia Troia, probrosis insepulta cineribus. Idem falsis ludit & luditur ipse imaginibus, dùm in magni Parente Herculis, pellacis nescius doli fulminatur. Bellonam semper pronubam, aut Nemesim pedisequam habuêre, excelsa coniugia, sociumque tori sæuum dirarum agmen, non dulce gratiarum consortium ; quoties ad ea, fortunato non prælusit auspicio magna Iouis coniunx quæ omnia mundi magnifica & splendida, vt pro arbitrio suo dare, adimereque creditur, ità sinè prospero eius Numine, Nuptialem exornare pompam, quam sit infaustum potentibus, funestus Helenæ, & Lauiniæ magnarum excidia Vrbium, strages, funera, incendia, complexus hymen, ferali exemplo sanxit. Adeò ad stabilem Nubentium felicitatem pertinet, nosse, quis Deus, animos potius, quàm manus, mansuro fœdere coniungat. Hæc, ego ingeniosis Poetarum non minùs decora commentis, quàm proxima vero, dum penitùs mente reuoluo, sciendi auidus, quis, fortunatissimi Epithalamii Vestri auspex extiterit, Illustrissimi Neosponsi, repentè in Clarissimæ vtriusque Domus Ve-

ſtræ penetralia, Illuſtribus latè micantia ceris, velut in Sacram Iunonis ædem delatus eſſe videor. Hic vbi, in omnia oculos & animum vertens, pictos Auorum Atauorumque vultus, ſummorum titulos honorum, conſilia, ſigilla, publicarum caduceos Legationum, pugnata ex ordine bella, Victorias, trophæa.

Multaque prætereà Sacris in poſtibus arma
Et criſtas capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Et clypeos, fractaſque vaſtis in mortibus haſtas:

præſentia Togatæ & Sagatæ Reip: ornamenta & præſidia, dum legenti ſtupentiquè ſimilis circumſpicio; oportunè, maior humana ſpecies, tantorum genuina cauſa bonorum, præſes connubiorum Iuno Diuinior, multa virtus & præclara, geminis Illuſtriſsimarum, quibus decus inſigne præſtatis, Familiarum, fulgoribus præradians, incurrit conſilio. Hæc ſemper Sarmatico coniunctiſsima Tonanti, immortalibus, in rem Polonam Antiquiſsimæ Gentis Veſtræ, meritis, pretia humanis maiora bonis tribuit: hæc ſimillimam Maiorum progeniem, ex auſpicata coniunctione Veſtra præſagiens, naſcituram, pulcherrimi amoris flammas, in generoſis pectoribus Veſtris, excitauit. Nam, maximi cuiuſquè generis priuilegium eſt, vt, æquè in virtutũ ac fortunarum hæreditatem, bonis ſuccedant meliores: & Parentum in Liberos tranſeat cum ſemine auguſta indoles, tanto cum fænore laudis, vt ex Dea Anchiſiadæ, & Iouis filii, ex Olympiade naſci, videantur, virtutis augurio excellentis. Sequor omina tanta, & palmaribus Patritiæ Iunonis Veſtræ ſuper veſtigiis, laudationis Epithalamicæ gradum molior, par Coniugum Lectiſſimum, auiti ſpes magna ſanguinis, I. N. Si non palmam, ſaltem aureos compedes meriturus, maritalis vinculi gratulator.

Eximiæ Heroum Soboli, raro inter mortales vnioni, cælitùs data peruigil tutela, & contrà obſtantia peſtilentis inuidiæ tela, nigroſque Colubros, ancilè Sacrum, virtus

recti

recti peruicax; ſi quandò purpureo alti Sanguinis in Oceano, placidis conceptam Fauoniis, pulchrorum Deam amorum, nouis thalamis inducit, ne dùm caros pignorum honores; ſed mille ex aduerſis, ſecundos donat in dote triumphos, quos, nunquàm fortuna impotens, acerbis funeribus vertat. Germana hæc ſummi Numinis propago, ſidereo cuius è vertice, Diuinitatis radius, velut è nubibus fulgur erumpit; non ita immortales amicitias gignit, quin manſuræ felicitatis pollens, ſinceram bonorum ſortem tribuat, in dotale obſequium, noua vitæ ſocialis fata auſpicātibus. Formoſi opima corporis ſpolia, quæ nulla non dies auferens, edaci rerum Saturno ſuſpendit: vitreæ fortunæ vaſa gemmea, quibus ſimul contingit ſplendeſcere & frangi, eâ tantùm parte maritis placere cenſet; quatenùs his, maior accedit honos ex animi bonis: quæ nullis ſubiecta caſibus, idcircò, ſinè viciſſitudine triſtium, ſola perpetuò triumphant: quia magnæ virtutis, tot claris diſtincta nominibus, quot officiis funguntur grauioribus, celſa germina ſunt; aut ingentium eiuſdem facinorum, inſignia honoris, & gloriæ trophæa. Eiuſmodi laureatis ſuam proſequitur Victoriam, pulcher virtutis hymæneus: tam ſpecioſo vehuntur triumpho in perpetui amoris Capitolium, non obliti famæ melioris amantes, quorum capita coniugali iugo inclinauit; non fortuna vanis ebria ſpebus, nec affectus conſilii impos, & regi inſolens; ſed ſola honeſti cupido, ſtimulum admouit, mutuus in fœdera conſenſus lætum pæana cecinit, & coronas nexuit triumphales. Quam, virtus, genus quidem fæmineum, ſed virile gerens nomen & ingenium, conciliat, amicitiam: adamantem verè dixeris, fruſtra in eius fidem nullis delibatam procellis, rigidus Mulciber fatali Chalybe deſæuit, quæ dura omnia frangit, nec, ſi vera eſt, frangi poteſt. Adamantina Coniugum paria, decoro inter ſe fidiſſimi affectus duello admiranda, ſi quiſquam legens & audiens, videndi quoque deſiderio æſtuat;

Vos hodiè amplissimo Orbis Lechei in theatro, videat Lectissimi Neosponsi, *gemmeæ pares Columbæ gratiarum corcula*. Hæres vetusti Regina Sanguinis Vestri, Virtus, superûm dignationi non impar, & Sarmaticis dilecta fascibus, ita Vos hodiè publicæ expectationi, & annis maritat melioribus: vt nascentis mundi, prima Cæli, & Diuæ Telluris connubia, exhilaraturus Pater ille luminum, cui Vincula iugalia curæ, Principes Cæli flammas, duo luminaria magna creando, sociauit.

Atquè Tu prior, luculento stemmate cognatum genus Cælo, Illustrissime Comes Neosponse, *circum caput omne micantes deponas radios, propiusq; accedere manda*; Quem per suprema Poloni Regni fastigia, maximus Natalium splendor tollit: non secùs.

Ac per Summa Poli Phæbum trahit altior æstas.

Vereor ne Tuæ Excelsæ Indoli, nihil magis quam dicendi typhum & cerussam perosæ videar adulari, & Maiestatem argumenti, poeticâ vanitate deprimere, si Celsissimam Domum Tuam, nulli in hac Rep: antiquitate, & rerum præclarè gestarum gloriâ, nulli sincerâ in Deum religione, in Reges & Rempublicam pietate, fide, obsequio, in omnes iustitiâ, comitate & humanitate cessuram, cum veterum Matre Deûm comparauero. Quam proditum est, magnanimis Leonibus, curruque decoro per alta Dindyma vectam, phrygiasque turritam per Vrbes, Idæos spectasse choros, ingentibus turgentem gaudiis; quod centum Diuos complexa Nepotes, non inferis, non medioximis Diis immixtos, omnes cælicolas cerneret, Tonantis consiliarios, in suprema Olympi Regia consedisse. Minimè verò metuendum est, memorare vmbram, Paternis Tuis syderibus in lucem commutatam. Reuelatus, ex hac eruditanube, nescio quis Phæbo maior dies, tot Heroum, aut (si Augusti Cæsaris oraculo stare licet: homines pietate & iustitiâ fieri Deos) tot semideûm luce serenâ continuus, ad Po-

lonam

lonam Arcton signum celsi glaciale poli, fulgurat hostibus exitio, Patriæ præsidio? Purpureusne Lucifer, Tarnouiæ anteambulo Lunæ *Spicimirus* à Rheno, olim contrà Gentes Barbaras, Romani Scuto Imperii, tantum attollit Poloniæ meridiem? qui, septingentos iam propè, magnis mẽsibus complens in Polonia annos, nunquam inclinat ad occasum. Nemo, ita noctilucam esse existimet Tarnouiam Phæben, quin nata tenebras vincere, horridasque temporum noctes depellere, etiam publicæ felicitatis diem, non properet reducere, & clarum mane cum suo Phosphoro exhibere.

Posset quispiam, vulgarem aucupans auram, & fucatæ ostentator laudis, eam primordiis Maiorum Tuorum affingere Celsitudinem: â priscis Latii Regibus cum Turno ortos, pro Romæ pollentis fatis, antè Romam conditam pugnauisse. cùm id & affinis patrii loci Genius, & vicinum Turno cognomen, vertentium non nisi consilio, aut errore immutatum, & maximè arma Gentilitia, suadere videantur. Lunam porrò, vt Ausoniæ populi & vicini Dalmatæ, auspicium belli habuêre, ita insignia armorum lunata, & indices nobilitatis argenteas Lunas gestauere: hoc tantùm honori Regio consultum, vt Lunæ, stella orientis prodroma Solis, addita, Regiam Maiestatem, â vulgo Nobilium secerneret. Sed hoc simulationis purpurisso, & speciosæ vanitatis pigmento, intaminatum â tot sæculis Vetustissimæ Familiæ Tuæ iubar incestare, indignum est. Satis superquè laudum fuerit, ex iisdem oris, vndè Conditor Lechiadum venisse, & iisdem in aruis cum Lecho primam sedem posuisse, cum suo *Spicimiro Tarnouios*, faustum Sarmatis, consanguineum Cecho genus, tot Illustrium Virorum fæcundum, in tot Clarissimas Prosapias generosâ sobole propagatum. Quot quot enim, Illustres Familiæ in regno nostro, eodem, cum Comitibus in Tarnow, Stemmate censentur, aut exemplo claritudinis Tar-

nouianæ eminuêre, aut â Tarnouiis proceſsêre: vt ingentes bello, paciſque muneribus Melſtynii, & Comites in Tarnow Iarosławſcii, omnes magnis functi honoribus, nomina olim Polonis faſtis radiantia.

Conſecrent origines ſuas, & ad Deos referant Authores, quibus laus in origine ſola, originis apud nos Tarnouianæ, legitima Apotheoſis eſt, pia in religionem liberalitas, quâ eam conſecrauit *Spicimirus*, nouæ in Polonia Chriſti Sponſæ, Eccleſiæ Gneſnenſi, villam ſui cognominis in dotem donando. ratus tum demum res maximas optimè procedere, cum â ſincero veri Dei cultu, non â ſecundis alitibus auſpicia ſumuntur. *Leche* Parens, laudaſti credo in amplo, vbi nunc hoſpitaris Elyſio, cari Nepotis Sanctius Tuo conſiliũ, & præ gaudio lachrymis ſuffuſus, purpureos ſparſiſti flores, his deuotum germen proſequendo Votis.

I decus, i noſtrum, melioribus vtere fatis.

Audiuerunt Vota boni Superi, quæ pia liberalitas commẽdabat, & ex ſolio Maieſtatis illius; quæ cuncta Cælorum & terrarum, æternis gubernat imperiis, decretum eſt: purpureum Celſiſſimi Sanguinis Tarnouiani mare, naturâ ſuâ tranquillum, Regi, Regnoque fidum, tantum vt hoſtiles venti & inimicorum auræ cient, vehementiùs, aut mitiùs efferueſcens, Lunaribus Gentilitiæ Cynthiæ incrementis, nouorum ſubindè decorum pretioſo diluuio Orbem Polonum inundare, nunquàm propriis contentum limitibus in nobiliſſimas cognationes, cum Comitibus de Tęczyn, Comitibus de Szydłowiec, cum Oleſniciis, Odrowaſiis, Lygeziis, Firleis, Sapiechis, Warſzycciis, ceu in inclytos amnes diffundi, & quidquid Polonia genere ſplendidum, indole magnanimum, famâ glorioſum, dignitate ſummũ habet, Tirio colori accumulare; gemmeo Nimpharum fulgore cæruleos Illuſtrium fluuiorum Deos vrere, ipſum etiam Nereum, & non vile nomen Palæmona, ad iugales

tædas

tædas sollicitare. Pulsauêre aureis remis vastum hoc pelagus, quos Polona vehit Argo, aurei Velleris equites veræ libertatis, Duces Wisniowiecii, Duces *Opolienses*, *Zamoscii*, *Potoccii*, *Tarnones*, indè pretiosa cymelia & margaritas relaturi. Indè Tui purpurati honoris, aurora vicini Solis radiis illustrior, consurgit, prime Comes in *Tarnow Spicimire* Cracouiensis Castellane. Augustius virtutum Tuarum prærogatiuam æstimauit, quàm á me laudari possunt, Serenissimus olim Poloniæ Princeps *Lesco Niger*, cum Tibi Germanam suam in vitæ, thorique Sociam despondit. Quot Dii boni! in Tuo Senatorio murice, continuâ Succedentium seriè, Senatorum conchilia rubent! imminentium sæculorum clarissima sidera, bis septem Palatini, septemdecem *Castellani*, omnes, vel gloriosi Exercituum Regni Imperatores, aut Magistri Equitum, Legionum Duces, Hiliarchæ, Capitanei, vere triumphalis Senatus, quem si Cynæas simùl videret, Regum consessum merito existimaret: nemo tamen, Senator, qui non bellator, Fabii Poloni, Patriæ amantissimi, Patritius Exercitus quorum neminem puderet esse Ducem, post paludamentum & militiæ cinctum, ad Senatoriam purpuram, pictasque togas, venêre tanquam ad triumphum. Habemus in magnis Tarnouiis, quidquid in antiquis Heroibus miramur.

Non cedit Pompeio, *Ioannes Tarnouius Magnus* Castellanus Cracouiensis, spicimiri Castellani, dignissima propago, supremus armorum Poloniæ arbiter, qui Russos, durum in armis genus, & diu Polonis graue, non Piratas, in quos propria conscientia pugnat, postquam debellauit, Duces captiuos in triumpho, non aureos montes exhibuit: Prouincias Regno adiunxit, non extruxit proscenia. Nec togam prætulit armis, Libertatis Polonæ in generali, Wisliciæ, Ordinum conuentu, cum Fratre *Raphaele* Castellano Wisliciensi, accerrimus assertor, & Legum Lycur-

gus. Diadematis Sarmatici & *Casimiri Magni* Poloniarum Regis moderator, dignus, cui, vt Pompeius Possidonio Fasces, Rex Iuuenis coronam & Sceptrum submitteret.

Non sibi tantoperè placeat, Sapientissimò ante annos Papyrio Prætextato, nec Scipionem suprà ætatem fortissimum extollat, victor atque Imperator omnium Gentium, populus Quiritium: nam Spitko Tarnouius, Comes in Melsztyn, Rabsztyn, Tetrarcha Podoliæ, vtroque Superior; qui in prætexta, prudentiam senum, & masculum virorum robur, dum magnis indiciis prodit, vix annum decimum octauum natus, pro virili Toga, Cracouiensis capessit blatteam Palatini, liberæ Electionis Regum Poloniæ, post Ludouicum Regem singulare robur, & firmamẽtum. Supremum armorum & Exercitûs Regni regimen, nunquàm præcipiti trahens bellica negotia casu, sed maturo *vel* læta, *vel* aspera rerum momenta, consilio gerens Imperator, primo fortibus factis, contra illud fatale Turcarũ fulmen, & non leuem totius Orbis metum Tamerlanem, felicitèr pugnans, ad extremùm ipsâ gloriosâ morte insigniuit. Quandò contrà Edigam pro finibus Patriæ in Silesia fortissimè decernendo armis, occubuit, *vel* solâ magni animi vmbrâ minas Spirante, limites Patriæ tutaturus. Fatorum nihilominùs industriâ, humanas res crebris vicibus voluentium, & tristia lætis Solantium, factum est, vt tanti Herois occasum, funebremque Familiæ noctem, Serenissimus *Bernardi* Ducis Opoliensis, *Ludouici* Regis Poloniæ & Hungariæ Sororini Filiam Spitkonis *Heduigim* Tarnouiam, in Matrimonium deposcentis hymæneus, serenaret.

Quod nulli hominum, nullique Deorum, licuisse iactauit fabulosa vetustas, posset *Ioannes Validus*, Comes in Tarnow Castellanus Cracouiensis, Alcidâ fortior, Herculi clauam adimere, eiusque gloriam rectiùs sibi vendicare, qui Lernæa Crucierorum capita, post cladem identi-

dem atro-

dem atrociùs renaſcens, numeroſum malum, vno quaſi ictu, ad Gruneualdum decollauit, cum quinquaginta millibus cæſorum, reliquos coercuit, & pacem petentes, mitiùs ſpirare iuſſit. Quâcunquè incederet ſuccreſcẽtibus, ſuper veſtigiis eius, laureis, veriùs ei fulgor armorum victorias, quam fortuna Tymotheo properauit. Poſt bellorum tandem tonitrua, depoſito minaci ſupercilio nupturiens Mars, Bellonam ad mitiora certamina, apud Cancellarium Bohemiæ, Sororem Reginæ Bohemiæ, efficacitèr in vxorem popoſcit: ex qua quinque filiorum prole beatus, deſiit eſſe mortalis. Lunam finiri cernimus, vt incipiat, & reuertentes in triumphis, filiorum colligens ignes, pleno luceat Orbe. Vos primi ad Paterna trophæa, nobiles exuuias deponitis, Decii Poloni, macte animis Gens ambo Diuûm, *Ioannes, Maior*, & *Ioannes Gratus Tarnouii*, deuota Deo, Fidei & Patriæ pectora, cum inter ferream Gradiui, & pilorũ mortem minantium, ſegetem, more fulminis diſcurritis, nobilium palmarum, in Bulgariæ Thraciæque campis, meſſores, ad Varnam fatales Cannas inueniſtis, & impio Otomanico Marti facti victima, purpureas animas, per vulnera, cælo reddidiſtis. Non eges precariis laudibus, qui propriorum conſpicuus luce meritorum, iam pulchra Innocentiæ triumphalia peragis in cælis, poſtquam Te ipſum, incomparabili exemplo viciſti in terris, Illuſtris *Raphael* Comes in Tarnow Canonice Cracouienſis, *Ioannis Validi* deuote Fili. Moreris Nominatus in Polonia Antiſtes Præmislienſis, in polo confirmandus. Triplicem Coronarum Vauelli nexum, nulla Pontificiâ Tyarâ permutari ſiuiſti, vt conſtitutus, inter Seniores Cæli, qui coronas ſuas proiciunt, antè Thronum Agni Immortalis, coronas Tuas, coronis cæleſtibus adijceres. Sis felix, bonuſque mihi Canonicorum Tarnouienſium fundator magnificentiſſime, *Ioannes Felix*,

olim Lublinenſis Palatine, multa de Te vellem, multa deberem, ſed Tu omnes nomine, & magnifico opere, gratias, cunctam, auſpicatiſſimo Agnominis vocabulo, felicitatem complexus, effeciſti, vt eâtenùs ingratus ſim & infelix, quia Diuinis Virtutibus Tuis impar laudator. Tu vltimus Filiorum *Joannis Validi* es, *Ioannes Amor*, felicior flebilis cauſæ, pro Tęczynio, quàm magnus olim, pro Milone Romanus Orator, ſimulatquè exemplo Paternæ fortitudinis, proprio ære, & numeroſo milite, de Marte Lechico meritiſſimus, Crucieris criſtas iterùm attollentibus, horrorem incuſſeris, & munus Legationis ad Georgium Bohemiæ Regem, glorioſè obiueris, Supremum diem obiiſti, ſuccedente in ſortem Victoriarum filio triumphali.

Quem ego hîc currum triumphalem! quam lauream Tuis cum triumphis conferam, tempeſtas martia, *Ioannes Tarnoui Magne*, Maurorum, Moſchorum, Turcarum, Valachorum, triumphator? qui poſt glorioſos atrocium bellorum exitus, plus admirationis populis Nepotum, quàm fidei allaturos, velut pacato orbe Auguſtus, cum redires, publicâ contributione Cracouiæ Salutaris, & omnis æui Clariſſimorum Imperatorum, facilè Princeps & Anteſignanus, etiam exterarum Gentium linguis, acclamaris. Magna facere & ſcribere, iam Tarnouium non Cæſareum ampliùs vocari debet, cum Tu, pulchro ligari fædere trophæa libris, idem Author & ſcriptor rerum ingentium, docuiſti. indè Tibi magis in deliciis habiti & militiæ honoribus ſublati, Centuriones ac Milites, qui paritèr calami ac gladii iura coluerunt. Centum linguas Orator habeat, qui, nomina, geſta, curſum fortunæ, ſingulorum Comitum in Tarnow, percenſere velit. Ea omnium peculiaris (vt breui compendio vniuerſorum latifundia laudis emetiar) laus & prærogatiua, ſemper habita, eſt, in alta Reip.

ſpecu-

ſpecula, pro Religionis, iuſtitiæ, & libertatis vindiciis, acerrimè omnium excubaſſe : &, ſi conſcientia veræ cuiuſque virtutis, ſatis amplum theatrum, rectè facta approbet, hominum famam, nec timere, nec curare, quam tamen, vt facem honeſtarum mentium, & ætatis incitamentum ſecuturæ, æternus hiſtoriæ genius, illis præſtabit æternam.

Quis autem Te de nomine compellans, magnanime Comes Neoſponſe, innominatos relinquat *Auum* & *Parentem*, Tuæ proxima culmina gloriæ : quorum Ille vera Martis ſoboles, totum vitæ curſum exegit in armis, *Ioannes Gratus* Comes in Tarnow, Caſtellanus olim Zarnouienſis, triplici laureâ, Scythicâ ad Ciecioram, Turcicâ Valachicâque ad Theleſynum, Moſchouiticâ ad Pſcouiam, vbi ſpectatore incredibilis fortitudinis ſuæ, Sereniſſimo Stephano, Rege Poloniæ, indomiti terroribus animi, heroicum dedit argumentum, immobiles Moſchorum cuneos, impetu fulmineo, perrumpēdo, & quartâ de ignobili Rebellium Coſacorum Duce, Naleuayco, ouali coronâ decorus, illatus eſt in tumulum mortuus, velut in triumphum. nempè qui vixit, & obiit Victor, tumulari debuit triumphator. Hic, Materno Corniachtorum Sanguine cretus, quatuor præfecturas, minora magnis meritis præmia, cum tenuiſſet, ex Kiiouienſi, factus Sendomirienſis Caſtellanus, Caſtorem in toga, Pollucem in Sago exhibuit: vbicunquè Mars Lechicus claſſicum cecinit, auidus gloriæ, prodigus magnæ animæ, ibat in bella, indiuiduus periculorũ & Victoriarum comes, Sereniſſimis Poloniæ Agamemnonibus, conſilio Neſtor, manu Achilles, Vladislao Quarto, Regum Victorioſiſſimo, ad Smolenſcum contra Moſchos, ad Chotimum contra Oſmanum Turcarum Imperatorem; Caſimiro Tertio, qui ſæpiùs gladio dexteram, quam Sceptro impleuit, in omne hoſtium,

bellorumquè genus: Coronatum & cognatum ſibi Wiſniowieciorum Sanguinem, Sereniſsimum Michaelem, contra turbines tranquillitatis publicæ, animosè tuitus, trepidæ in throno Maieſtatis, grande extitit columen, & præſidium. Togato Senatorum Ordini inſertus, cũ chlamyde bellatorem animũ non depoſuit; ſed quoties commune periculum, communi manu, repellendum fuerat, toties venerandam illam canitiem, durâ caſside premere, ſtimuluſque fieri generoſi furoris, nobilitati Polonæ, non deſtitit. Viuendo demùm, & res præclaras agendo feſſus, futurus ad latus Regium reſidens Senator, in Regiam Regis gloriæ auocatur. in Centuriatis Varſauiæ Comitiis ad aram publici conſilii, conſultiſsimam egit animam, Salubrium Reip. conſiliorũ aureus tripus, pius, fortis, glorioſus, ſapiens, Heros, bellator, Victor, Senator, vno nomine Alexander. Prouidere tamen teneritudini Tuæ magnanime Fili, priuſquàm in funereum Somnum lumina declinaret, non oblitus illum, qui pro Te cordis Paterni gemma, Celſiſsimus poſt Alexandrum Antipater vigilaret: non ſucceſſor Regni, verum cari pignoris, Regum opes animo æquantis, Protector & Patronus.

Hic eſt Eminentiſsimus, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Dominus *Michael in Radzieiouice Radzieiowski*, Archiepiſcopus Gneſnenſis, [quem, germana magni Parentis Tui Euphroſina, poſt Georgium Ducem Wiſniowieccium, primi voti maritum, Illuſtriſsimi olim *Hieronimi Radzieiowski*, Regni Vicecancellarii, æquè de immortali fama, ac de Rep. meritiſsimi Herois, gratiſſima Coniunx genuit,] auguſtum nomen, & magno ore ſonandum: Celſiſsimi per tot Ducum, & Illuſtriſsimarũ quarumuis Familiarum, cognatos ſplendores, traducti Sanguinis, Vnio pretioſiſsimus, illo æſtimandus Regno, cui augendo, ornando, conſeruando, ſollicitudinem,

nem,

nem, fortunam, Sanguinem, Vitam, pace, bello, domi, foris, Illustrissimi Antecessores sui, arduis semper Reip. admoti negotiis, supremis conspecti in magistratibus, impenderunt. Vetustissimæ Familiæ, vbiquè inuidiam gloriâ, & odia imperantium, armatis periculosiora hostibus, magnanimitate, vincentis, corona & triũphus: Cardinalitiam ornans purpuram, quæ alios cõmendat: Serenissimi & Potentissimi IOANNIS III. Poloniarum Regis, armis inuictissimi, triumphis gloriosissimi, bellando felicissimi, regnando Sapientissimi, Sanguini, magis etiam cordi insertus, æstimatione excelsæ mentis, Varmiensis primò Episcopus, post Regni Procancellarius, Diuini humanique iuris intelligens, magnitudine animi excelsus, consilio prudens, ore promens facundiam, quæ decet Principem, & auget oracula Maiestatis, proût tẽpus, occasio, locus, & cõmunis boni ratio, postulabat, sẽper ad Regẽ pro Rep: â Rege ad Rẽp: Salutaria vtriq;, non placentia locutus, non tantum maximi Regis, & Summorum quorumuis in Rep. Virorum, dignationem promeruit, sed etiam Supremam in terris potestatem, quam Reges & Imperatores cernui adorãt, in amorem sui ita pellexit, vt omnium domi, forisque virtutum Præsul, qui, iustis meritorum passibus, in primatiale Regni subselium prouectus, altiùs ascendere non poterat, Sanctissimi Innocentii gratiâ, inter Eminentissimos Cardinales emineret, S. R. Ecclesiæ, & Orbis Christiani Princeps, humanæ felicitatis complementum.

Tanto, secundùm Deum & Cælites, gaudes Tutelari in terris, Fortunatissime Comes Neosponse, qui pueritiam adolescentiamquè Tuam, in sinu & indulgentia, Almæ Studiorum Regni Parentis, profuturos Ecclesiæ, Patriæque Ascanios, omni curâ Sanctè & integrè educantis, literis humanioribus (quibus Heroicæ

mentes, ad magnum Fortunæ cultum excitantur) egregiè innutritam, Exterarum institutis Gentium censuit imbuendam. Ergò in alium quâsi terrarum Orbem feliciter profectus. generosus alieni laris cultor, neù spectaculis alicuius Vrbis caperêre amænæ, neù otio serendis rumoribus, vitiisque alèndis nato, diffluεres, inanibusq; caueis impenderes moras, luxuriæ potius, & desidiæ Sorores, quàm prudentiæ matres, idem Sapientissimè cauit, loca exercendæ virtuti peregrinæ idonea, ordinando: horarum etiam & dierum, ne dum Studiorum rationem, à reduce exacturus. Quanquam enim pura & integra natura Tua, ab illecebris peccantium abhorrens, animus seuerus sui inspector, nec in quiduis flecti cereus, iudicium acre, omnia dicta, factaque ad lancem expendens, nec deceptioni facile: quia non omni aspiranti auræ credulum, Te non permitterent â decoro longè iaculari, tamen securius est, censorem habuisse, quem Tuis factis, dictisque quasi interesse putes, cuius nutus obserues, præcepta mente tenens, opere exequaris. Etiam perspicacissimos filios Solis, dum ipsi regere volunt, & regi superioris consilio non sustinent, errare contingit. His instructus, munitusque præsidiis, faustum prosequebaris iter, ipse iucundum Exterorum spectaculum, non spectator: sequacem vbiquè habuisti bonam famam; quia prodromam virtutem, Sacra Diuæ Themidis dignam Polono Ciue occupationem, Pragæ & Salisburgi, sùdore non sertis colens, linguarum etiam exterarum notitiæ vacasti. Vrbem maris Deam, Liberi Patris ferias, Saltantibus Saliis, nudisque lupercis congruentes, exquisitissimis, ad aurium oculorumque oblectamenta, scenicis ludis, exhilarantem, adiisti, nullū post Te luxûs aut procacitatis vestigium relinquendo: hoc quoque gloriosis Tarnouiorum triumphis, additurus trophæum: non solius cauti Vlyssis gloriam esse, blan-

dos

dos Acheloidum cantus audisse, nec submergi: Circes odorari poculum, nec mutari. Romæ demùm totius Orbis terrarum in compendio, omnis exempli documenta, velut in illustri posita monumento intuitus, indè sumpsisti: quidquid Tibi, Tuæque Reip. profuturum foret; indè didicisti quid fædum inceptu, fædum exitu, vbiquè in tota vita vitandum esset. Idioma Gentis illius exactè edoctus, dum mores populorum & rerum publicarum status, modos imperandi, acuratiùs nosse peroptas, funesto obitu *Illustrissimæ Parentis Tuæ*, Sēdomiriensis Castellanæ, singularis exempli Heroinæ, [quæ vt Soli Deo vacaret, liberiùsque Cælo frueretur, solitudinem elegerat, & â conspectu hominum, ac vanitate sæculi velut è scopulo in tranquillum, è naufragio in portum, vitæ nauigium, subduxerat] in Patriam reuocaris. Vbi, cum, prudentiâ & vsu rerum plenus, sermone affabilis, animo verecundus, domi comis, humanus & magnificus, nullius contemptor, excultam externis artibus heroicam Indolem, nihil peregrini moris, præter quod virtutem sapit, & grauitati Polonæ congruit, præferentem, per omnem Reip. faciem circumferres, omnium oculos & vota Tecum ferebas. Optabant Illustres Familiæ tantum sibi Generum, & iam tacitis rumoribus aulam personantibus, insinuabant desideria; sed præuertens consilia humana, summus connubiorum Christianorum arbiter Deus, Te ne quidquam tale sperantem, in vetustissimam *Przerepsciorum* Domū, arcano impulsu induxit; designans Sponsam, vel ipso Gentilitiorum armorum cognomine, auspicatissimos successus prænunciantem; ita, vt Paranymphum quærentibus, respondere possis, illo, quod triumphali Lunæ Tarnouiorum, cum stella addidit Rudolphus secundus, semper Augustus Romanorum Imperator, certam ex Otomanis victoriam augurante, Lemmate: *Sic Deo placuit.*

 Habes

Habes sine voto, Lectissima *Przerepsciorum* Pulcheria, quod aliæ magno frustrà sperauêre desiderio, Sponsum, in quo summa omnia, Genus, virtus, gloria, animus maximæ cuique fortunæ capacissimus, sed Tu his omnibus gratior accedes Corona. Altis Inclitum titulis, Tuum *Paternum, Maternumq́*, Genus, ille demùm augustè expendit, qui æquauit Olympo. eò vtriusque celsitudo pertingit, nullis vnquâm fuscata nubibus. Non tantùm Libertatis Polonæ, etiam immortalitatis architecta est, triumphalis Osoliniorum Ascia, quicquid magnũm & excelsum in hoc Regno fabricauit, Cælo inseruit. Quassatus mille vertentium bellorum ictibus, pro publica tranquillitate magnorũ *Nouiniorum* gladius, quid aliud, si non seruati atrocissimo in prælio Regis, decus perenne Cælo ostentat: quod *Nouiniorum* fortissimæ Genti initium dedit, sed virtus Summo laudis incensa amore, incrementum. Hic ego mirari nequeo, eodemne ferro, quo *Nouinii*, Regum tutantur capita in mortis discrimine, Sanctissimus vertex, Diui Antistitis, cui *Bogna Nouinia Mater*, Scelestè debeat Sauciari! Dicerem, beneficium in scelus esse versum, nisi deceret Magnanimos *Nouinios*, hoc glorioso ferro, Cælo consecrari, quo, in terris, pro Deo, & eius vices sustinente Principe, accinguntur. Fuerit hæc olim vesana quorumdam ambitio, vt inter amicæ obsequia fortunæ, mortalium obliti, Deos se ferrent, vel Diis genitos, quos tamen vix hominum nomine, non Deorum dignos, facta arguebant: at non Tibi in vltimis laudum, felicitatisque esse debet, Lectissima Neosponsa, idem Tibi contigisse Genus *Paternum*, quod *Maternum* fuerit, Præsulum gemmæ, regnatoris montium Vauelli Coronæ, *Diuinissimo Indigeti Stanislao*. Benedictus hic *Nouiniorum* Sanguis, hoc precibus, meritisque suis efficiet, vt Virgineis niuibus Tuis, coniuncta Tarnouia Luna, æternæ Serenitatis plenilunium

Sortia-

Sortiatur, & cum amica, genialis thalami, purpureo vehat ore diem, aurora.

Hæc ego vaticinantis more, dum enuncio, insueta nouorum splendorum lux, aciem luminum percellit: quantùmque Tibi acquirit claritudinis, tantùm Orationi meæ, adimit claritatis, qui maximâ Illustrium exēplorum copiâ obrutus, vix prouidere possum, vndè ordiar. Vos tamen maximè omnium, pulchro magni honoris, sed pulchriore Virtutis & meriti successu, dicentem vritis, tres *Przerępscii Siradienses Castellani*, *Patri Ioanni*, *fili Ioannes*, isti *Nepos Iacobe*, continuò Vobis Succedentes. Quàm decorum est, filios solis, non fieri Phaetōtes, ast splendoris Paterni, prudenter non temerariè æmulos, ad clarum virtutis opus, summosque Parentum honores, animum componere. Responsa Maiestatum ore pandere, regales signare gratias, monimenta publica, Legum integritatem, illibatâ fide, & autoritate tueri ac conseruare, non cuiuslibet Viri, nec animi negotium est. Munus hoc magnificum & ingens, difficilium rerum trahit Iliadem, in pretiosa Darii arca deponendam, quam voluere, reuoluereque, non nisi Hephestiones possunt, quibus maxima rerum verborumque fides habetur. Triumphant hoc in arduo munere, duce prudentiâ, & comite animi magnitudine, trecentis vinciendi gratiis, tres *Vincentii Przerępscii*, omnes Regni Procancellarii, duo Vladislauienses Episcopi, nomina victuris Cedris dignissima: sed medius, his excelsior, ex Helmensi Episcopo & Procancellario Regni, Archiepiscopus Gnesnensis, Vir Sūmæ existimationis in Rep. & prudentiæ, nisi mors fato propera, eum Patriæ inuidisset: præcoces enim fructus etiam mors libenter colligit, & quidquid antè annos insolitâ virtute maturuit, suum nobile ferculum putat. Niueis nihilominùs victoriæ alis, subuectus in cælestem Tarpeum, suauissi-

mus

mus animorum victor *Vincentius*, nihil morti præter exuuias reliquit mortales. Virentibus ſemper Vincentiorum laureis, non ceſſaſti addere decus palmare, Patruelis Archiepiſcopi *Vincenti Przerępski* Caſtellane Roſpirienſis, Capitanee Opocnenſis, priuatim & in publico, æquales proſperæ exiſtimationis vices promerite: antequàm mortalis vitæ ſtationem deſereres, par nobile filiorum, alterum Capitaneum Opocnenſem, alterum Dapiferum Sendomirienſem, expectationi publicæ reliquiſti, vt nunquàm deeſſent, qui de Rep: bene merendo, nouis gloriæ incrementis, Illuſtris Familiæ decus augerent.

Inſcripti Annalibus Sarmaticis, legimini cum laude, vndecem *Przerępſcii*, inſignis Siradiæ honos, qui, fortunatiſſimam, Regum glorioſiſſimi Vladislai quarti, electionem, concordi Suffragio, ex Palatinatu Siradienſi ſubſcripſiſtis. Nec Te, fama ſilet, indole, merito, & honore, Maioribus Tuis comparem extitiſſe, *Stanislae Przerępski*, Caſtellane Siradienſis: clariùs tamen poſteritati ſonat, ciuilis elegantiæ normam, Regum, Sigiſmundi tertii, Vladislai quarti, delicium, *Maximilianum Przerępski* ex Caſtellano Siradienſi, & Referendario Regni, Łencicienſem Palatinum, domi, vitæ integritate, in armis fortitudine, vtrobiquè prudentiâ præſtantem: quem armata & togata Regum ac Regni obſequia, ſemper habuêre aſſiduum, donec mors vltima linea rerum, â conſortio viuorum, non diſcreuit. maximo Tuo cordolio ſublatus, mæſtiſſima Coniunx, Palatina, *Anna Hieremiæ Mohyła*, Palatini Moldauiæ Filia: vnicum hoc ſolamen mali, concedentibus fatis, quod Tibi ex illo ſuſceptus paruulus in aula luderet Æneas, *Carolus Sigiſmundus*, olim Palatinus Siradienſis, in quem magnificentia, permiſta grauitati autoritas, magnanimitas, præſtanti munere certarunt: nihil erat tam arduum, tamque in Rep: dif-

ficile, quod ille magno animo aggredi, consilio perficere, autoritate tueri non posset : bona fortunæ, quæ in aliis sunt irritamenta malorum, in illo fuêre virtutis instrumenta. Partita hæc in singulos bonorum excellētia, magnificè profectò commendat *Przerepscios*, sed collecta in propiori, *Auo* & *Atauo* Tuo, quantò magis cæteris præminuisse olim conspiceretur, ex Illustri & Magnifico Domino *P. Stanislao de Przerab Przerepski* Vicepincerna Mielnicensi, Specimen sume lectissima Neosponsa, in quo eximius rerum Excellentium apex altè nitet, dignus, Illustrissimi *Przerepsciani* & *Zebrzydouiani* sanguinis hærede: nam *Anna Zebrzydowska*, Palatini Calisiensis Filia, talem tantumque Tuum genuit Parentem; quē tamen insita animo modestia, summis mortalium non spernenda, minimè attollit, integerrimum omninò Patriæ Ciuem, vtrumque Reip: tempus, pacis & belli præclarè ornaturum; nisi maior cupido animum incessisset, cælestibus magis, quæ perpetuam, quam humanis rebus, quæ euanidam gloriam præstant: seriam curam intendendi. Multiplex hic, Auitæ gloriæ & virtutis cursus, in Te pulcherrimam definit coronidem : in Te tot laudata Maiorum decora mixta fluunt : ex istis radiantibus Stellis, Tu pretiosa corona aptaris Capiti Viri Tui, Lectissima Neosponsa. Corruscantia verò, tot vetustorum tot recentium Colligatorum Sanguine, *Duninorum*, *Romißouiorum*, *Gebultowsciorum*, *Sarnouiorum*, *Kostkarum* *Myßkouiorum*, *Teczyniorum*, *Zebrzydouiorum*, *Radonsciorum*, *Jordanorum*, lumina tot diuersicoloribus armis, & ornamentis, quàm pulchrè, in Tuo mundo florent, cuius præcipuus decor ab intùs est. Moderni sæculi, & inclitæ Domus Tuæ, fulcra spirantia, silentio potiùs veneror, quā prætereo; quod amplitudinem Virtutis & meritorum, quibus sese immortalitati commendant, sub arctas periodos, cogere erubescam, quam posthumis sæculis, fidelis Annalium memoria est traditura.

Quo fessum rapitis, Illustrissimi Comites in Teczyn *Osolinii:* Gens in hac Rep. quam condidistis, antiquissima, Victricium palmarum & pacis olearum feracissima: maiores summis etiam honoribus, quos vt haberetis, maxima quæque & illustria, pro Rep. agendo, & audēdo, præcessistis. Tu maximus ille es, Celsissime S. R. I. Princeps, Dux in Osolyn, Comes in Teczyn *Georgi Osolinski,* Snpreme Regni Cancellarie, omnium Gentium, quas, vel Solā magni nominis famâ adiisti, stupor & dilectio: facundo cuius ore, quoties Polona Maiestas est locuta, summi instar Numinis visa, latè Sarmatici Regni reuerentiam producebat: ita non digniùs pro Saturnio, cæterisque Diis Cylennius, quam Tu, pro Rege & Rep. vbique perorasti. Sanctissimo Pontifici *Vrbano Octauo* dum pro inuictissimo Poloniarum Pyrrho, *Vladislao Quarto,* Cynæas loquereris; rediuiuus pro rostris, latini Maximus author eloquii, videbare: *Imperatori* Romanorum, Regibus, Principibus, Venetorum Reip: nouus è Polonia Pericles Olympius: cui tanquàm aliti Secretorum conscio, fulmen quoque Iupiter commisisset. Spectabilium saturam triumphorum, Gentem Romuleam, Splēdidissimo ingressûs publici apparatu, Legatus ipsâ corporis Maiestate diuinum quid, non mortale spirans, lectissimo Virorum & epheborum, auri, gemmarū, vestimentorum, equorum, & omnis generis, pretiosissimi cultûs, magnificentiam in immensum augentium, agmine stipatus, in eam æstimationem Tui, & stuporē, egisti, vt confiteri non ambigeret: nunquàm antè vidisse, nec postea visuros Romuli Nepotes, tam splendidam Legationis pompam. Tam gloriosum apud exteros, nec in Patria, minor Te fama ferebat: in eloquentia, prudentia, & rebus gerendis, citra æmulum eminentissimus, Cortynâ Delphica, dignus â quo oracula consilii publici, iuris & æqui, & penderent, & peterentur. Au-

gusta

gusta mens Tua, iam cælo recepta; non alio grati-ori potest dignari præconio, quàm laureato illo sex orationum, regnatrices coronas, & diademata in triumpho exhibentium, serto; in quibus Te, adhuc hodiè loquentem Orbis obstupescit: his non perituris coloribus, cælestis lineamenta animi, melior Apelles expressisti, omne æui senium, â Tuis laudibus fugaturus. Meritò igitur, Osoliniæ sublime culmen gloriæ diceris, meritò ex Tua magnitudine, quanti omnes sint, æstimantur. Non magnis hisce in Polonia, cum Te sole perit decor sideribus, sed Tuo afflata lumine, fulgent clariùs, & lucem etiam inter nubila iactant: tumque demùm se laudatos *Osolinii*, satis arbitrantur, cum in Te laudantur, ad cuius normam inclarescere, non desistunt.

Venis in tantæ gloriæ censum, Illustris Domina *Catharina Przerebska*, Neosponsæ, magnifica Parens, scipiones Poloni, magni *Osolinii* sunt, Tu Polona Cornelia, vnius Scipionis, *Capitanei* olim *Petricouiensis* Soror, alterius *Capitanei Cnysnensis*, dilectissima Filia, Maioris Affricani, Cãcellarii Regni, digna tanto *Patruo Neptis*: quinimò è tanti Iouis verendo vertice, Gentilitiæ ministerio Asciæ, nata Pallas. Diuinus ille magni Cancellarii animus, inter Numina relatus, gaudet profectò, entheum illum, & penè suum, qui magnas mentes inspirat, vigorem, munere Diuûm, in Te transfusum: concessamque raram in fæminis, nihil molle sonantem, diserti oris gratiam: gaudet vigere in Te excelsi animi eminentiam, magnificentiæ Studium, religionis cultum, singularem prudentiam, quæ omnium in Tuo pectore virtutum, liberã Remp: Sola Regina gubernat: in Te Mecastor non in Pandoram omnium bonorum dona, videntur conspirasse. Magno igitur, Sanguine orta, magno coniuncta, non poteras nisi Tuarum Virtutum, Filiam parere, nec tam magnificè educatam, nisi Heroûm Sanguini iungere, Heroes parituram.

Iam ergò castam Vlyssi Penelopen, Lucretiam Collatino, Menelao Helenam, Mausolo Artemisiam, Marti Idaliam, non poteris inuidere, *Illustrissime Neosponse*, nactus Sponsam, in quam omnium laudes Deus contulit. niueũ, eius casti pectoris, ebur, in liliis frontis Serenæ candet: purpureis produntur genis, suaue rubentes verecundiæ [quæ prima Matronarum dos habetur] hiacynthi, rosarũque murex, quo tingi & ornari vera virtus solet: felix, nitensq; species, quæ multùm de cælo, videtur traxisse, & placidus luminum fulgor, securum in animo virtutũ omnium imperium, & paccatarum in corde cogitationum malaciam prænunciant: nam vt pulchra hæc mundi machina, Mentis illius, quæ per summa ac ima æquè diffunditur, ita humani animi, virtutum concilio pollentis, eximia formæ species, speculum est. Nec desunt faustitatis auguria, si fortunæ sese offerenti instare, non desieris. Excelsos Natales, fortunæ celsioris pedes, qui appellauit; ad Tuam felicitatem, allusit. Nimirùm *vinctus compede, & loricatus Nouiniorum* pes, secundam fortunam, Tuis obsequiis mancipabit; *districtus gladius*, aduersam profligabit. Quæ autem tacitis Coniugum Sacris, nocturnum iubar præbet, Hecate triformis, pallentem inuidis, rubẽtẽ ventosis, obiciet: vestro, qui Vos hodiè iungit amori, ârgenteum semper exhibebit orbem, aureos fortunæ, factura Soles & Serenos.

Dare votis & ominibus faustum hilaremq; euentum, Diui Poloniæ Præstites & Consentes, qui Vestris suffragiis, cæpta virtutis auspicio, Christianorum connubia, prosperatis. Tu verò, magis semper addicta nobilioribus, inclita virtus, Cælo, terrâq; potens, quæ generoso Sanguine, vt Ioue & Maiâ satos, filia Saturni, lactas, statim ab vberè, in lacteam Cæli viam, Heroum propagini, sedem destinatam, eniti consuescendo: quæ supremæ Maiestatis iram, efficacitèr lenis, ne quoties peccant homines, fulmina mittat: hùc adsis cælestibus stipata gratiis, Nimpharumq; choro, Diuinum Illustrissimis Neosponsis conciliatura fauorem; & queîs, ex alto Auitorum Splendorum culmine, Nuptialem accendisti facem PRONVBA: eorundem geniali thalamo, præsis custos LVCINA IVNO. DIXI.

WANDALSKIE NIMFY
Pięknej Nowiniance fortunney Małżeńskiey Ligi winszuią.

WTen czás, kiedy Lutego, Tobie cny Neptunie
Dni poświecone: w Nowiu kredensuia Lunie
Márcowey, iuß ná sámym Mieſopuſtu zgonie
Kiedy ogniſte Febá w Ryby ſpieſzą konie
Wándálskie Nimphy chlubá Sármáckiey IVNONY,
Gładkowabny Fraucymer y bliski Korony,
Pieſczony rodzay, náder zá Portyerámi
Lodowemi ſtesknione, ſmákuiac z wiátrámi
Letni ſpácyer, luba y konwerſácya,
Wczym im znáczna Cześnik dzdzow dał konſolácya
Wilgotny Notus, śniegi obracáiac w wode;
Lodowáta od brzegu gdy odpchnał przeſzkode
Do wyśćia nie co wolny ſpoſob pokázuiac,
Nátychmiaſt, zá nim Nimfy, pretko wyskákuiac,
Tám: gdźie Polski Atlás Wáwel, ná kárku skáliſtym
Dzwiga Zamek, ſczyczac ſie Toporem ſtáliſtym
Cnych Toporczykow, ktorzy z Krákiem budowáli
Zamek, y w Woiewodách dwunaſtu bywáli
Ztámtad kiedy oczetá zuchwále rzućiły
Proſto ku bramie Wiślney wnetże tu zoczyły
Nowy widok: Báránki ná rogu skakáły
Sáme Boginiey z Páfu ŁABĘCIE *plaſáły.*
Ku piekney Nowiniance ſsyie nákłániáły
Ze iey powinny śpiewáć táki znák dawáły.
Ktorey TRĄBY skrewnione y złote NAŁECZE,
IVNONA, pokázuiac cáłowáłá rece,
Rożáne: á z ABDANKOW koronę wkłádáłá
Ná skronie iey, Pánieńskie, y znia wraz iáchálá
Poważnymi Pawámi, ktore ſtroy nádymał
Rozlicznych kwiátow pełen, Æol vmywał
Ták niewidána Scena Nimfy zádumáne
Od chćiwośći goracey bieżą poimáne.
Widźieć ták piekna Dámę ktorey y Marſowa
GWIAZDA nisko ſie kłánia y z Cypru Krolowa.

F 2 Zbliży-

Tu zbliżywszy, gdy widzą Gody vchwalone
Y od Iunony ognie, w sercách zápalone
Winszuymy mowią ták fortunney chwile
Ktorą Bog zdarzył w lubych chęćiách mile.

I.

MIlsza nád Zywot Echo piekney sławy,
Nieśmiertelnymi zywiączey Nektáry,
Godne Iowiszá, wielkich Mężow spráwy,
Tákim napoiem gubiącey kátáry
Głębokiey niepámięći, w ktorey pławy
Czynią; Leteyskich Nurtow sproszne máry.
Tobie powinien mężny Hector z Troią
Ze choć ich nie masz, przez twoy ogłos stoią.

II.

Ná śiedmi gorách Miásto położone
Romulá dźieło, Grádywá srogiego
Godno zwáć Dźiádem : gdy niezwyćiężone
Liczne triumfy zwyćięstwá mnogiego
Płácą; oddáiąc Hetmánom, skáżone
Przez miecz Narody ná sámym drogiego
Czole tryumfu wiedźione nućiło
Echem Peány, winszych chęć niećiło.

III.

Siedmkroć od głosow Echá spráwa miáło
Iedyne VIVAT lub IO szczęśliwe
W Bramách Pálmowych: bo ták należáło,
Aby publiczne nádźieie troskliwe.
Laurem ozdobne, śiedm kontentowáło
Ięzykow sławy, o Echo prawdźiwe!
Siedmkroć szczęśliwy iest kto ćie przy cnoćie
Ma, nieśmiertelney pámięći kleynoćie.

IV.

Dyámentowe niech zábiia kliny
Smierć nieuchronna wskronie znákomite,
Nigdy śmiertelney niepopádną winy
Gdy głośisz spráwy cnotom przyzwoite.
Słyną v świátá twego Lechá Syny
Ktorym Ty chwały ánimusze syte,
Woienney przyznáiesz á między tymi,
Cnych OSSOLINSKICH liczysz przednieyszymi.

V.

Ci Polſcze z Lechem godnie záświećili,
To Páńſtwo krzewiąc y Narod słowiáńſki
Czáſom potomnym wielce záſczyćili
Y śiebie sławie, y Máieſtat Páński
Wiárą, orężem, rádą, vmocnili
Tym dla odwagi, dań Vrząd Hetmáński,
Pieczęći, Laski, Senatorskie krzesłá
Tym żyćia porá ná Vrzędźie zeſzłá.

VI.

Ták, iáko Słońce między Płánetámi,
Iáśnieieſz wielki Kánclerzu w Koronie
Polskiey, między Twoiego kleynotámi
Inſzemi Domu: ná Iowiſzá łonie
Wypiáſtowány, między ozdobámi,
Ktorym przyſtoi y rządźić ná Thronie.
Páktolu złotey mowy, żyi ſzczerośći
Przykłádźie, prawdy, piáſtunie wolnośći.

VII.

Z tego Słońcá Tyś ná Swiát Polski weſzłá,
Złota Iutrzenko, Purpuro iáſnośći
Twych OSSOLINSKICH: boś Splendorem przeſzłá,
Pomnieyſze świátłá, duchem wſpániáłośći,
Tyś PODCZASZYNO iáſny dźień przyniosłá,
Dźień godźien tyśiąc pochwał, dla pięknośći,
Kśiężycowi w tryumfách Zrodzonemu,
Do Sławy záwſze wypogodzonemu.

VIII.

Dniem ćię zowiemy, á to ieſcze máło
Dla twoiey piekna Bogini godnośći
Inſzym, po Częśći zacznych ſię doſtało
Przymiotow: Twoiey ſczegulney Iednośći
Cáłą zupełność wſzytkich ozdob dáło
Niebo życzliwe; tákiey ieſt zacnośći,
Rozliczna cnotá przy głádkiey vrodźie
Iák roża kwiećie zdobi więc w ogrodźie.

IX.

Szláchetny duchu w ták drogim namioćie
Dáieſz ordynáns, chwalebnym Hetmánie
Poſtępkom, dámy : iák dyáment w złoćie
Tuś ieſt : ſerdecznych iednowładny Pánie
Wolnośći : w iákim zoſtáie kłopoćie
Ten ktory widźi twey przyiáźni zdánie
Iuż nieodmienne, przećiw Dźiedźicowi
Wielkiey krwie, ozdob KASZTELLANICZOWI.

X.

Zyczliwych winſzow otwiera ſię pole
Gdy NOWINA z LELIWA w ligę wchodźi
Wdźięczney Boginie miny, tu ná czole
Ze, wſzytkich poćiech grono z wámi chodźi.
Nowe fortuny pokaźćie w ſwym kole,
Szláchetney parze, niech iey nieſzkodźi
Ná wáſzey życzliwośći : wáſzey Niebá
Ná ztwierdzenie ligi pomocy trzebá.

XI.

Wdźięczna Nympho vale czyniąc Pánieńskiey
Ozdobie, dáiąc wzáiemney miłośći
Ná więzy, słodkiey wolnośći Małżeńskiey
Y my kończemy náſzey życzliwośći
Kánzony, życząc twey práwie Anielskiey
Cerze z TARNOWSKIM nowych ſczęśliwośći.

Idź ſczęśliwych ſukceßow weſoła NOWINO
W Dom Wielmożnego IANA *piękna* ANTONINO.